

que prejudicialis dici non mereretur, multo magis eis accedentibus; Ponderando etiam, quod tutela non dicitur de jure importare commodum, & utilitatem, sed potius onus, & incommodum, adeo datur munus necessarium, ad quod quis cogi potest; Ideoque in jure disponitur de causis excusationis, ex deductis in *tot. tit. insti. de excus. tutor. in coppare. etc.* & sic dici non potest, quod Matri tollatur ali- quod jus, vel fiat aliquod prejudicium nimium considera- bile, & praesertim in muliere vidua istud munus censum- venit magis periculosum, ac damnosum, quam in vi- ro; Ac propterea stante statuto 151. per quod mulieres declarantur imperfecti Judicii, quod non fecit jus commu- ne, prohibita facere quoscumque contractus, & actus, ex quibus praedicta remanere possint sine solemnitatibus sibi demandatis, ac etiam sine causa, quam hodie firmum est requiri utilem, vel saltem non damnosam, seu periculo- sam, ut pluries in sua sede *sub tit. de alien. & contracti. prohib.* Hinc sequi dicebam, quod quilibet prudens Jdex in hoc durissimum esse debet, & frequentius negare suam authori- tatem, cum impossibile sit verificari dictam causam & sta- tuto desideratam in actu adeo periculoso, & de sui natura damnofo; Et per consequens concludebam, quod Mater conquirebatur de ejus commodo, & beneficio, quod sibi ex hujusmodi provisione referebat, etiam ubi proceden- dum esset cum sensu eorum, qui in hujusmodi Principium provisionibus justam exigunt causam absque recurru ad absolutam potestatem, juxta ea, quae circa hanc Principi- potestatem habentur in sua sede *sub tit. de Regal. disc. 147. & 177. & in alitis.*

**PISANA ADMINISTRATIO
PRO JOANNE LAURENTIO PALMERIO.**

Responsum pro veritate.

De eadem materia, de qua supra disc. 15. An scilicet, & quando administratores piorum locorum teneantur de proprio, & de eorum fidejussoribus.

S U M M A R I U M.

1. **F**acti seritis.
2. **O**bligatio Officialium, & Magistratum est Subsidiaria.
3. **P**ater tenetur de facto filii suscipientis munus publicum de ejus consensu.
4. **A**n & quando fidejussores administratorum excusentur.
5. **A**n administratores majores, & habituales teneantur de negligentia inferiorum.
6. **D**e excusatione ob non usum.
7. **Q**uando non usus tollat vim legis.
8. **D**e observantia, & distinctione in hac materia.

D I S C. XXII.

Delectis debitoribus in notabili summa duobus mini- stris actualem habentibus administrationem Montis Pietatis Pisarum, quorum unus pignorum Custos Massari- us, alter vero Custos pecuniarum Camerarius nuncupantur, Causidicus ad id deputatus coram ordinario, & competenti Magistratu pro montis reintegracione judi- cium instituit, tam contra ipsos administratores debito- res, quam contra eorum fidejussores, ac etiam contra duos administratores majores habituales, quorum unus Cancellarius, alter vero superintendens nuncupantur, contra quos tam ex parte montis, quam etiam fidejussor- um objiciebatur, ut eorum culpe factura referenda es- set ob non servata statuta, & reformationes Montis, in quibus cavetur, ut Superintendens, & Cancellarius sin- gulo quadrimestri statum pignorum, & pecuniarum re- cognoscere deberent, quoniam si ita factum esset, atque raptim id non neglectum, supradicta factura non ad- e- ret; Quare desuper ex parte Palmerii superintendentis consultus.

Respondi duas efformando inspectiones; Unam nempe de quoad exceptionem fidejussorum, qui prius erant discutiendi, dum contra majores Magistratus, & Officiales habituales, qui superintendentes nuncupantur solent, conceditur actio subsidiaria post excusos actuales principa- les debitorum, ut de Magistratibus habetur aliis relatis apud Constant. in l. 60. Cod. de Decur. lib. 10. num. 57. Rovit. disc. 45. & 83. Et de Tutoribus, quorum aliqui actualem

habebant administrationem, alii vero honorariam, & ha- tualem vulgo superintendentialem, ut quamvis illi re- neantur, adhuc non subsidiaria sit eorum obligatio post excusos actuales habetur *(supra hoc eodem tit. disc. 5. Et se- cunda super actione, quae Monti competet contra eor- dem habituales, quatenus tam principales, quam fidejuss- ores ad integrum debitum idonei non essent.*

Quatenus itaque pertinet ad primam inspectionem su- per fidejussorem exceptionem, dicebam deplano pro illius rejectione contra eos respondendum fore, quoties eorum obligatio hanc explicitam non haberet conditionem, qua- tenus scilicet majores administratores, statuta, & ordi- nationes servent, adeo eorum obligatio juxta commu- nem formulam hujusmodi cautionum esset pura de reddendo rationes, & restituendo reliquatum, dicta vero con- ditio praetenderetur tacite, & per subintellectum, cum tunc hujusmodi praesentio omni prorsus fundamento de- situta esset; Quoniam obligatio administratorum majo- rum introducta est in gratiam, & pro relevacione illius, cujus bona administrantur, utpote innocens, atque sub legali, & necessaria administratione viventis, cui jus- titiam, & rationabile est, ut per legem succurratur, non autem in gratiam, & levamen ipsius administratoris actualis male administrantis, ac delinquentis, vel ejus fidejuss- oris, qui illum approbavit, ejusque suscepti obligatio- nem, cum nulla juris ratio, vel dispositio id suadeat, at- que contrarium quoque comprobatur communis usus, vel praxis, ut praesertim neglectis aliis generalitatibus obser- vabam patere, ex deductis *sup. disc. 15. ubi in terminis praecisis fidejussoris confimi is administratoris Montis pietatis Urbis, & de quo etiam disc. 68. & 69. de credito, quod contra majores habituales administratores non comitudo de dolo, & collusionis, nulla conceditur actio, quamvis per ejusdem Montis statuta, cap. 13. & 14. cum seqq. & magis ad rem, cap. 33. confimiles demandantur diligentiae, & revisiones; Fortius vero itante particulari motivo non usus dicti Statuti, vel ordinationis hanc revisio- nem praecipiens, ut infra.*

Quamvis autem haec generaliter procedant contra om- nes fidejussores, magis vero, ac extra minorem dubitandi rationem ea procedere dicebam contra illum, qui erat pater dicti Massarii, seu Custodis pignorum, cujus debitum erat majus, ex iis, quae habentur *disc. 86. n. 7. & 8. de credi- to, ubi de juribus, & auctoritatibus firmantibus obligatio- nem patris consentientis publicis muneribus, quae per fi- lium suscipiuntur; Licet enim ibidem nu. 18. & 19. aliqua dubitandi ratio deducatur, illa tamen in praesenti non in- trabat ob praesuppositam circumstantiam, quod idem pa- ter promittit, imo magis, quam filius, tanquam principa- lis pignora administrasset, ac propterea advertebam recte adaptari posse ea, quae de jure antiquo, & medio aetate juris novissimi introductionem circa pecul. um adventitium dis- posita sunt super obligatione patris pro peculio per filium administrato, sive illius occasione.*

Item generaliter contra omnes fidejussores ponderabam, quod frustra idoneae, ac limitatae cautiones ad hujusmodi administratoribus exigentur, si eadem cautiones istam habent conditionem, sive censenda essent factae, cum hoc praesupposito diligentiarum; quae ad praescriptum Statuto- rum, & ordinationum per alios administratores majores fieri debent, quoniam quando id exacte servaretur, vel nunquam, vel nunquam raro daretur iste casus factus con- siderabilis, sed quoniam notum est, quod hujusmodi ordi- nationis parum servari solent, idcirco hujusmodi cautio- nes exiguntur, potissimum considerando in hac facti specie, quod antiquiori tempore, in quo dictae ordinationes factae fuerunt, cautiones erant limitatae usque ad summam sc. 8. mil. postmodum vero inolevit vitium illas habere indefinitas usque ad quamcumque summam, ex ista forte ratione, quod agnoscitur praedictam ordinationem non servari, ac non esse in usu, adeo ut quatenus pertinet ad hanc pri- mam partem actionis contra fidejussores, casus videretur planus tam ad favorem montis, quam didorum majorum administratorum, eisque idoneis existentibus non servari, sed secunda inspectio inter morem, ipsosque administratores majores habituales super enunciata coram subsidiaria obligatione; Ubi etenim Princeps, vel ejus Vicarius, ac Praesides, alique majores Magistratus bene eorum munus explerent, ac invigilarent, ut Judices, & Gubernatores lo- cales bene suum faciant officium, utique nulla iubeberet ne- cessitas praestandi cautionem syndicarum, sed non per hoc fidejussores excusantur.

Verum

Verum quando de hoc puncto agendum esset, quia nempe bonis fidejussorum non remaneret indemnitas montis omnino consultum, tunc pro ratione dubitandi observabam contra dictos administratores nimium face- re ea, quae habentur aliis relatis plene deducta apud Ro- vit. disc. 36. ubi in specie de negligentia administratoris majoris, & habituales in non revindendo gesta per infe- riores administratores actuales, ac etiam ea, quae de tutore honorario vulgo *Sopri intendente* habentur *supra discurs. 5.*

His tamen non obstantibus pro dictis administratoribus habituales, praesertim vero Superintendente, ex cujus parte consultus fui, censui respondendum ex particulari- bus facti circumstantiis, quibus stantibus opus non erat assumere inspectionem generalem in terminis juris com- muni, quod scilicet pro certo supponeretur dictas ordi- nationes sequutas de ann. 1581. ab antiquo tempore, cujus contrarium memoria non habeatur, non fuisse, nec esse in usu, adeo ut multi in eodem munere praedecessores, id quoque neglexerint, hunc non usum nimium comprobante immutatione regiminis, vel status rerum, quoniam de eo tempore Mons erat unicus longe minoris administrati- onis, cum esset circa initia, postmodum vero creverit, ut in Montibus Pietatis Urbis, aliarumque Civitatum Italiae praxis docet, vel quia ob meliora tempora non adesset tanta paupertas, quanta de praesenti, ac propterea exigebatur cautio minor, & restricta ad dictam summam moderatam.

Non usum etenim aptus est tollere vim legis, ex plene relatis per Farinac. in *fragm. verborum lex, Pratus observat. 14. & 15. cum addit.* de quibus disc. 35. de *Judic. & alibi*. Potissimè vero, ubi non constat, quod prius lex fuisset in usu, adeo ut allegari valeat non usus ab initio, ut adver- titur *disc. 1. de seroit.* ac etiam *rod. disc. 35. de Judic.* mi- nusque agitur de tali lege, quae habeat decretum irritans, per quod quicumque contrarius usus inficiatur, sique talis naturae; ut in potestate inferiorum non sit illam non ser-

vare juxta distinctionem, de quibus *eodem disc. 32.* & magis ex proposito occasione agendi de non usu Bullae Piane su- per censibus *disc. 1. de censibus.*

Et nihilominus, quando etiam de stricta juris censura iste non usus non esset sufficiens ad tollendam vim legis, & in futurum obligatorius non esset, adhuc tamen ad ef- fectum, de quo agitur, excusandi scilicet & negligentia de praeterito, ille videbatur abundare, dum ex deductis in *ead. disc. 36.* Roviti in hujusmodi administratoribus habitua- libus, & superintendentibus, negligentia debet esse ma- gna, & talis, quae redoleat dolum praesumptum, sive ma- gnam, & latam culpam; à qua utique iste non usus excu- sat, dum administratio suscepta censetur eo modo quo tunc servetur, ut occasione susceptionis appaltum advertitur *disc. 71. de Regal. & alibi.*

In idem ponderando praxim, & observantiam Urbis, ac etiam Neapolitanae Civitatis, aliarumque magnarum, vel medicorum Civitatum Italiae, in quibus consuevit Montis Pietatis, aliaque plura, & insignia pietatis opera habentur cum duplici specie administratorum, una scilicet actualium stipendiatorum, & altera habituum, qui ut plurimum viri nobiles qualificati ex motivo pietatis ab- ique stipendio istud munus suscipiunt administratoribus habi- tualibus, & superintendentibus, quoniam non concurrente dolo, & collusionis cum administratoribus actualibus, & inferioribus, pro istorum defectu non datur contra eos actio, ut in Urbe praxis docuit in casibus, de quibus *supra disc. 15. & d. disc. 68. & 69. de credito cum similibus*; Et merito quidem, quoniam si ita esset non de facili invenire- rentur, qui hujusmodi onera susciperent, ideoque ista di- cenda est quaestio facti potius, quam juris, ex facti qua- litate decidenda, an scilicet addit, necne dolus expres- sus, vel saltem praesumptus, qui ex magna, & nimium lata culpa resultet, magnaque videatur constituenda diffe- rentia inter hujusmodi piorum locorum administratores salarios, & alios, qui ex motivo charitatis hanc superin- tendentiam, & habitualem administrationem suscipiunt.

S U M

S U M M A S I V E C O M P E N D I U M Eorum, quæ continentur in hoc titulo de Tutoribus, & Administratoribus, &c.

S U M M A R I U M.

I

- 1 Non agitur de terminis generalibus, vel distinctionibus trium specierum tutorum, utpote notorii.
- 2 Quare ista tutorum materia in Curia Romana sit rara, & alibi frequens.
- 3 Freqentes questiones sunt super redditione rationem, ac super gestis à tutore, an offician.
- 4 Ubi agatur de materia, an gesta extra iudicium per tutores, & curatores obligent pupillum, vel minorem.
- 5 Et quid de actibus judicialibus, & de curatore hereditatis jacentis remissio.
- 6 Pro valida redditione rationum requiritur inventarium bene confectum.
- 7 Requiritur liber, & quomodo iste debeat confici.
- 8 Et restitutio reliquatus.
- 9 Tutor non condemnatur ad certam summam ante redditionem rationum.
- 10 Bene tamen ad restituendum boni ipsius pupilli, qui ex- tent.
- 11 Quando administrator conveniatur ad certam summam etiam ante redditas rationes.
- 12 De juramento in litem, quando intret, necne, & de eius forma, & requisitis.
- 13 An libro tutelari deferendum sit in redditione rationum, ac probet partitas.
- 14 An idem liber probet negativam aliorum bonorum.
- 15 Tutor non tenetur reddere rationem, nisi de obventis ad eius manus, & quando etiam de non obventis.
- 16 Quid de redditione fructuum aliorum bonorum quomodo probentur pretium, & an tutor teneatur expectare tempus congruum.
- 17 Etiam bona, quæ non extant ob eorum descriptionem iudicio peritorum estimari possunt.
- 18 Sed si neque ad sit descriptio, ex qua peritorum iudicium regulari possit, quid agendum sit.
- 19 An tutor, vel administrator cogi valeat reddere rationes, tutela ad huc durante distinguitur.
- 20 An & quando tutor honorarius, vel superintendens teneatur reddere rationes.
- 21 Quid ubi omnes sunt æquæ tutores, sed unus solum administrator.
- 22 Tutor, qui non impletis solemnia, adhuc tenetur ad redditionem rationum.
- 23 Cessato uno ex tutoribus, an totum jus consolidetur in aliis, vel potius debeat subrogari alter in locum des- cientis.
- 24 Si tutoris iam dati suspicio superveniat, an eius discussio pendente interim interdici debeat administratio.
- 25 Mater in hoc est magis privilegiata, magisque circumspicienda, cum ea proceditur.
- 26 De matre nutrice transeunte ad secunda vota.
- 27 Non de facili admittenda est excusatio recusantium, en- que admittendi sunt assellantes.
- 28 De personis inhabilibus ad tutelam.
- 29 De inhabilitate, vel impedimento Clericorum.
- 30 De competentia fori, & à quo iudice tutoris deputatio fa- cienda sit.
- 31 De eadem competentia circa redditionem rationum.
- 32 De loco, in quo eadem redditi fieri debeat.
- 33 Datur pro tutela, vel cura hypotheca legalis quæ incipit à die susceptæ administrationis, & de tutoris fideiussori- bus.

- 34 Etiam suspiciatur de facto non impletis solemnitatibus.
- 35 Non competit contra eum, qui contrahat cum tutore, vel sit debitor patris pupilli, aut alio titulo administrat.
- 36 Competit eadem hypotheca cuiusque viventi sub legali necessitate administratione.
- 37 An competat executori testamentario.
- 38 Si mater vidua administrat, etiam bona secundi viri ca- dunt sub dicta hypotheca.
- 39 Tutor non obtrimit cessante contra pupillum, & quando id permittatur.
- 40 Tertius non habet actionem contra tutorem, quod indebi- tum exegerit, vel ejus locum in causam pupilli bona fi- de erogaverit.
- 41 An in contractibus gestis per tutorem, vel curatorem re- quiratur presentia pupilli, vel ad alium.
- 42 Majori non potest dari curator, seu prohiberi administratio, & quando secus.
- 43 An detur actio contra factores, & inferiores ministros à tutore deputatos.
- 44 De præscriptione actionis tutelaris, vel præsumptæ ra- tionum redditione.
- 45 Quietantia per pupillum factum adultum non liberat tu- torum, si verè rationes non sunt redditæ.

I I

- 46 Qualem culpam mandatarius præstare teneatur.
- 47 Distinguitur inter mercè privatam, & voluntariam admi- nistrationem, ac necessariam.
- 48 Cum viventiibus de necessitate sub aliena administratione strictior est administratorum obligatio.
- 49 Administratores Civitatis, vel Reipublicæ jure tutorum censentur.
- 50 Periculum bonorum administratorum, an sit mandatis, vel mandatariis.
- 51 De utraque directæ, & contrariæ actione mandati.
- 52 Omnes quomodocumque aliena administrant veniunt sub hoc genere.
- 53 Idemque ad rationes tenentur, & an præventiva libera- tio excuset.
- 54 De redditione rationum inter facios.
- 55 De conclusione, ut ante redditas rationes non dicatur, quis debitor, vel creditor.
- 56 Et quando etiam ante redditas rationes sit locus conde- mnationi ad certam summam.
- 57 De facultate substituendi.
- 58 De tutela salarii tam in tutore, quam aliis admini- stratoribus.
- 59 An & quando mandatum, vel aliud administrationis ma- nus sit revocabile, vel irrevocabile.
- 60 De administratoribus fiscalibus.
- 61 De procuratoribus, aliisque administratoribus ad iudicia.
- 62 Quare de aliis ad materiam pertinentibus non agatur.

I

De Tutoribus, & Curatoribus, vel iis, qui se pro talibus gerant.

Neglecta ea terminorum præcognitione, quæ tyroni- bus institutionibus principia vix callentibus, non autem forensibus congrua est, super variis testamentariis, legiti- mi ac dativi tutoris speciebus, ac etiam super distinctione tutoris à curatore, cum similibus, quæ apud forenses præ- supponenda sunt; Agendumque pro stylo, ac instituto, de iis, quæ

quæ foris disputandi occasionem dedit; Rarò Curia Ro- mana tractat eas frequentes, quæ alibi pro motum diver- sitate nimium frequentes dignoscuntur, super concursu nempe ad hujusmodi munus obtinendum, invicem conten- dentium prælatione; Vel quia motum integric major doceat, id abhorrendum potius, quam optandum fore; Vel quia usus non præbeat ea salaria, & emolumenta, quæ ali- bi usu recepta, hujusmodi questionum frequentiam cau- sant; Majores autem fori controversiæ in materia cadunt super rationum redditione, ac reliquatus restitutione; Si- ve super gestis à tutore, vel curatore, an pupillo, vel mi- nori præjudicialia sint; Reliqua etenim rara sunt.

Hanc verò ultimam questionem speciem, super tutoris, vel curatoris, alteriusve administratoris extra iudicium gestis, an pupillum, vel minorem, sive alterum, sub legali præsertim administratione viventem afficiant, eique præ- judicent sub alienationum, aliorumque prohibitorum con- tractuum sede cadit. a

De iis autem, quæ in iudicio gesta sunt, sub altera iudi- ciorum sede agitur, ubi etiam de curatore judiciali, qui hæ- reditati jacenti, vel patrimonio defecto sit deputatus. b

Rationes administratæ tutelæ, vel curatæ bene redditæ dicuntur, plura lex exigit; Primò nempe inventarium bene, fideliter, ac distinctè confectum, non autem in confuso, ut ita dignoscitur rectè valeat, quid ad tutoris, vel curatoris manus obveniret; Secundo liber, pariter bene, fideliter, ac distinctè ab initio tentus, in quo in singulis diebus, ac tempo- ra, dati, & accepti partitæ descriptæ sint, adeò ut superap- positionis, vel delationis possibilitas, ac suspicio ablit, non autem ille, qui dum rationum redditio imminet sit confes- sus, vel qui informis notus, seu memorialis speciem redeat; Et tertio reliquatus restitutus, sine quibus ratio bene reddita dici non potest. c

Hujusmodi autem legitima ratione non accedente, ad quid certum, tutor, vel curator, sive alter administrator, cogendus non est, cum sola administratio, neque debitorum, neque creditorum aliquem reddat, ob incertitudinem, an unus, vel alter ex rationum dispositione sit evaturus; Nisi agatur de ipsius adhuc extantibus bonis pupilli, vel mi- noris, vel alterius, qui sub administratore vixit, quorum restitutio, velior, magisque recepta sententia retardan- da non venit. d

Quinimò, ubi non de universalibus, sed particulari admi- nistratione agatur, (quod conventionali potius, quam legi- tali congruit, contra eum, qui in rationum redditione contumax existit, ad acceptæ summæ, vel quantitatis condemnationem, etiam ante redditas rationes procedi- tur; Id autem in universalibus, ac legalibus administratione practicabile non est, sed conditioni ad ipsius redditionem factum, locus est per multam, vel perionæ coercionem, seu pignorum capturam.

Vel eo in contumacia perseverante, sive rationes non bene redditæ, ob inventariis, ac libri omnino neglectam, vel malè factam confessionem, adeò ut ex administra- toris dolo, vel culpa, veritatis probatio impossibilis, vel difficilis reddatur, locum lex præbet juramento in litem, su- per cuius tamen praxi, plures experientia docet difficul- tates; Vel quia tutore, vel curatore, seu alio administra- tore defuncto, questio sit cum hærede, contra quem lex illud denegat; Vel quia talis sit administrationis species, ut à rigorosa inventariis, ac libri confessione eadem lex excuset, ut in eo contingit, qui non tutoris, vel curatoris, sed ministri, vel famularum jure administrare credidit, si- ve jure domini rem suam administrare putavit, cum simi- libus; Vel quia probatio veritatis impossibilitas, vel nimia difficultas ex facto cesset, sive culpa non sit, Sive quia, non ipsa perionæ culpa bona administrata sunt, ad id agat, sed ejus hæres, vel successor, cui etiam lex hoc re- medium denegat.

Eo autem iudice competente, adeò ut nullum ex præ- missis, aliisque similibus obstaculis urgeat, non tamen pro- hibito jurare conceditur, sed prævia taxa, ex iudicis pru- denti arbitrio faciendâ, quod ex veritatis probabilibus admi- nistraculis, vel argumentis est regulandum. e

In earumdem autem rationum redditione, plures ca- dere solent questiones, præsertim verò circa dati, ac ex- pensæ partitas, an libro tutelari, abque alterius extrinsecæ justificationis fomento deferendum sit; Idque facti po- tius, quam juris questionem continet, idemque unifor- mem generalem regulam, seu determinationem non reci- pit, sed pro facti qualitate, singulorumque casuum cir- cumstantiis decidenda est pro iudicis prudenti arbitrio,

quod ex verisimili, vel inverisimili potissimum est regu- landum.

In acceptis autem partitis, nulla cadit dubitatio, quin li- bris, etiam in formibus, contra scribentem deferendum sit, In iis verò bonis, quæ descripta non sunt, quamvis libri bene tenti, inventariisque bene confectum, negati- vum non coarctent, minùque concludant, ejus tamen præsumptionem inducunt, donec expressa, vel admini- culativa contraria probatio accedat, cum non teneatur tutor, vel curator, rationem reddere de iis, quæ non con- flet ad ejus manus obvenisse; Nisi ex ejus culpa, vel ne- gligentia sequatur sit, ne obvenierint, cum tunc, pro obventis haberi debeant. f

In obventis autem, quæ citrà culpam non extrent, utpo- tē conseruationi non apta, vel sunt frequentius bonorum fructus, vel alia hujusmodi nature, quæ in pupilli patri- monio reperta sint; Questiones cadunt circa pretium, seu valorem; Vel quia ex libris, & rationibus ille non pro- betur, quod à librorum qualitate pendet, vel eis legitime confectis deferatur, donec de contrario doceatur, secus autem est contra; Vel quia data veritate pretii, pro quo venditio facta sit, questio cadat super incongrua vendi- tione, quia facta sit non expectato magis oportuno tem- pore pro diligentis partissimas more; Et hæc pariter certam non recipiunt generalem, sive uniformem deter- minationem, utpotè à facti circumstantiis prudenti iudi- cii arbitrio penandis pendente, & an id redolere illam culpæ speciem, quam tutor, vel alter, præsertim legalis privilegiorum administrator, præstare tenetur.

Quatenus autem de illicita alienatione, vel dissipatio- ne agatur, eorum bonorum conservabilium, in quibus dis- trahendi necessitas non urgebat, sive quæ nominè ius- ta causa, aliique servatis à jure solemnitatibus fieri non valeat, eorum autem non existentia, veram estimationem peritorum iudicio prohibeat, tunc ista, ex eorum- dem descriptione, eorumdemque peritorum iudicio facien- da est, juxta modernam opinionem, rationaliter uti receptam. g

Istaque descriptio quoque cessante, adeò ut iusta æsti- matio impossibilis reddatur, tunc cum dicto juramenti in litem remedio consultum est, quatenus illud aliquod ex præmissis impedimentis obstaculum non recipiat, eoque denegato, adhuc iudicis arbitrium resrenatum non est, etiam ex levibus, ac remotis argumentis, quæ à patri- moniis, vel defuncti qualitate, ac regionis moribus desum- menda sunt, eorumdem peritorum iudicio, verisimiliter estimationem facere, ne alia culpa culposo profici, inno- centiam autem, ac offensa præjudicet. h

An autem tutela, vel alia legali administratione pen- dente, rationum redditio peti valeat, sub questione est; Variis varia opinantur; Probabilior verò est, ut ubi plures existant tutores, vel administratores, quorum uni, tota, vel certa commissa sit administratio, rite id consu- tores plures, ac in singulos annos, & tempora opportu- na petant; Ista verò circumstantia cessante, adeò ut sub ipsius pupilli nomine id petatur, & tunc secus; Non ta- men iudicis officium etiam isto casu impeditur est, vel arbitrium resrenatum, ex iusto motivo à facti circumstan- tiis regulandum; Non quidem ad formalem, ac plenam redditionem, sed ad summariam ejus animi informatio- nem, quamvis tutela, vel administratio ulteriorem hæ- beat progressum, ad id cogere. b

Honorarium tutorem, seu alias actualem administra- tionem non habentem; Alii à rationum redditione, aliis- que sequelibus excusant; Alii verò in solum subsidium obligant, excusato eo, qui administravit; Veritas tamen ex distinctione decisio pendet; Ut si merè honorarius in forma solius protectionis, ac superintendentiæ, ac restatore, vel iudice sit deputatus, alteri per eundem restatorem, vel iudicem commissa actuali tutela; Et iste veniat ab hoc onere excusandus, eo solum remanente obligato pro illis, commisionibus, vel omnifidis actibus, qui culpam in ipso protectionis, vel superintendentiæ munere redoleant; Idemque in eo, qui tutor solius notitiæ causa dicitur.

Si verò omnibus pariformiter tutelam acceptantibus, uni ex iudicis auctoritate, actualis administratio com- missa sit, ut intret quidem aliorum obligatio, sed cum qualitate subsidii; Secus autem, si id ex eorum priva- tio factio, seu commisione sequatur, ut tunc omnes eidem obligationi subjaceant, ac etiam in solidum teneantur, ipsique inter se videant, cum privata, & voluntaria divisio

diviso pupilli præjudicare non debeat. *i*
 Quamvis autem tutor, vel curator, plurium solemnitate implementum iurabat, aded ut eorum defectus, eum culpoum, ac suspectum reddat, iustumque, ac sufficiens motum producat cum removendi, multique actus ex hoc defectu, invalidi censeantur, ac pupillo non rationales; Non inde tamen aliqua ejus excusatio à rationum redditione, alisque obligationibus tutori, vel curatori incumbendis resultat, sed fortius ei præmittitur; Ubi tamen protali expressè se gesserit, eoque titulo administraverit, ne alias culpa culposo profit, atque deterior sit conditio ejus, qui legi pareat, atque solemnia implet, quam ejus, qui legem contemnit, maleque agit. *l*

Aliquo ex pluribus tutoribus, vel curatoribus, per mortem naturalem, vel civilem cessato, seu alias impedito; Sub questione est, an totum jus in superstitibus, vel superstitibus, ex jure accrescendi, vel non decrescendi consolidetur, vel potius alterius subrogationi locus fiat; Atque variis variis opinantibus, verius est, prudentis iudicis arbitrio id remissum esse, pro facti qualitate, & circumstantiis regulando, ideoque certam, ac determinatam regulam generalem non recipit. *m*

Ipsi que tutela, vel administratione durante, si suspicio superveniat, (neglectis variis scholasticorum sensibus,) probabilior est ille practicum, ut eidem arbitrio pro facti qualitate remissum sit, an remotioni, vel suspensioni, seu adjuncto, aut alteri provisioni locus esse debeat; Possibile verò in matre, in cuius remotione, vel suspensione, magis circumspedè procedendum est; Regulariter enim in ea locus est adjuncto, vel alteri congruæ provisioni; Atque inter suspensionis causas, illa litis, (istius tamen gravitate, & qualitate credebatur,) solet esse potissimum. *n*

Major autem suspicio in matre, est illa, quæ à transitu ad alia vota resultat, ob quam remotioni, quinimò cessationi, ipso jure locus aperitur; Aliis quoque penis ipsi matri adjectis, super privatione successione, nisi priusquam id sequatur, pupillo de tutore provideri sollicita sit, ac rationes reddat, ut in successione materia adverteatur; Atque si secundus via administrationis continuationem patiat, ejus quoque bona pro administratione, ac rationum redditione obligata esse, lex disponit. *o*

Excusationem hodie rarè videntur questiones, quas foris, ideoque scholasticè examinandæ remanent, cum prudenter praxis hujusmodi munus invitis non de facili committat; Ut etiam nimium affectantibus committendum non esset, utroque extremo damnabili existente. Frequentiores autem sunt questiones inhabilitatis, de qua ejusdem tutelæ ambitio, vel alias in eo munere interesse obijciant; Incapaces autem, seu inhabiles sunt mulieres (exceptis matre, & avia, ubi secundarum nuptiarum obstaculum non accedat,) pupilli debitorum, item cum eo habentes minores, ac alii aliqua iudicii imperfectione laborantes.

In Clericis Regularibus generica viget prohibitio; In secularibus autem variè per iustas adhibentur distinctiones, inter testamentariam, & legitimam motum exigat; Aut an munus à divinis avertat, vel scandalum præbere valeat, cum similibus; Verius autem videtur, ut ista pariter facti potius, quam juris questio sit, certam, ac generalem non recipiens regulam, sed pro singulis casibus, eorumque circumstantiis, diversimodè decidenda prudenti arbitrio; Præsertim, ubi de illa tutela, vel administratione agatur, quæ secum trahat ea quorum Clerici sint incapaces, vel prohibiti; Et an ex negotiatione id fiat potius, quam ex charitatis motivo; Ubi etenim istud accedat, non prohibendum, sed potius laudandum est. *p*

Jurisdictionis, vel competentie fori majores esse solent questiones, tam circa ipsius tutoris deputationem, ubi pupilli plura possideat bona in pluribus Civitatibus, vel Provinciis, seu diversis dominiis existentia; Sive ubi sit Clericus, agatur autem de hæreditate laici, vel e contra; Ac etiam super redditione rationum, an scilicet præcisè danda sit illi iudici, à quo tutela suscepta est, quamvis tutor ab ejus foro exemptus esset; Vel ad id cogi valeat à diverso iudice loci, in quo bona sint, cum similibus, super quibus non de facili compendiosa regula generalis, cuiusmodi casui applicabilis statui potest, cum ex pluribus distinctionibus, potissimum verò ex Principatum, vel Tribunalium stylos, ac usibus, decisio pendet, ideoque in sua sede videndum. *q*

Loci etiam questio cadit super rationum redditione, in

quo scilicet ratio reddi debeat; Atque regula est, eam fieri debere in loco administrationis, quocumque privilegio fori non obtante, cum ibi reddi debeant rationes, vel administratio facta est; Nisi iusta causa, alioque facti circumstantiæ aliud suadeant, ex quibus iudicis arbitrium iustè intret diversimodè decernendi. *r*

Hypothecæ legalis privilegium, quod pupillo, vel minori lex concessit, contra tutorem, non à die quo administratio malè facta sit sed ab eo, in quo suscepta est, competit, eoque tempore attentio generalis est fidejussorum tutoris obligatio; etiam pro bonis, quæ durante tutela pupillo obveniunt; Idque in omnibus etiam datur contra eum, qui tutelæ testamentariæ, seu legitimæ jus habituale habens, de facto eam, (sub eo tamen titulo exerceat, quamvis solemniam non impleverit; Non tamen contra eum, qui alio jure, vel titulo administrat, sive cum administratore, aut patre pupilli contrahat.

Idemque privilegium cuiusque vulgari necessaria legali administratione viventi, ad instar, verius est competere; Questione cadente in exequutore testamentario, in quo pro facti qualitate respondendum est, ut in sua sede. *s*

Illà verò hypotheca, quæ contra matrem tutricem datur, si ea binuba fiat, atque in administratione perseveret, neque curet pupillo de tutela provideri, secundi etiam viri bona afficit.

Cessiones contra pupillum, vel minorem, tutori, vel curatori reportare prohibentur est; Nisi facti circumstantiæ magnam bonam fidem redeant, omnemque suspitionem tollant. *t*

Contra tutorem autem, vel curatorem, qui absque dolo exegit, seu alias distrahit id, quod alienum erat, ad pupillum verò, seu minorem spectare credebatur, atque in ejus causam erogavit, aded ut penes ipsum non remaneat, nulla datur actio rei, vel juris domino, seu alii interestato, nisi doli ratio, vel alia similis circumstantia diversimodè suadeat. *u*

Sine præsentia pupilli, (aliis servatis de jure servandis,) ex veriori sententia tutor rectè contrahit, neglecta distinctione capacitarum, vel incapacitarum doli; Curator autem non contrahit absque adulti præsentia, quoniam primo casu ipse tutor directè contrahit, in altero autem ipse adultus, cui solum curator auctoritatem præstat. *x*

Majori curator non datur, neque administratio interdicitur, nisi jus tertii, vel alia iusta causa iudicis arbitrio pensanda, aliud suadeat, ideoque resolutio præcepto in consilium, impudè illud sperni potest, ubi regulæ limitatio non obstat. *y*

Actio ad redditionem rationum, seu alia tutelaris directæ, non competit contra inferiores ministros, quorum opera tutor, vel curator usus est; Obiurgatio verò competit tamquam contra debitorem tutoris, exercendo scilicet, eam actionem quæ ipsi tutori, vel curatori datur; Nisi facti circumstantiæ aliud suadeant, ex quibus quandoque de hujusmodi inferiorum ministrorum facto, tutor, vel curator non tenetur. *z*

Præscribitur actio tutelaris, ac petendi redditionem rationum per tempus longissimum, eo modo quo alia; Absque eo, quod non obstat mala fides, ut obstat in debito puro, cum ita potius resultet redditionis rationum, ac reliquas restitutionis præsumptio; Ideoque id quoque cadit sub præscriptione statutaria, quæ solutionis præsumptionem ostendit temporis lapsum inducit.

Quantitas autem, seu liberationis tutoris per pupillum factum aditum non suffragantur, nisi reddidit rationum verè accedat, quamvis malitia, quandam adinvenit cautelam, ut adules fateatur sibi restitutos esse libros, ac rationes, & scripturas, sine quorum restitutione hæc actio exerceri non potest. *a*

- a Sub tit. de alienat. & contractib. prohib.
- b Sub tit. de iudicis, & in praxi.
- c De his requisitis disc. 7. & 8.
- d disc. 6.
- e de hac materia iuramenti in litem disc. 8. & 9.
- f disc. 6. & 7. cum seqq.
- g de hac specie estimationis rerum non extantium, tit. de Regal. disc. 1.
- g ad eandem materiam iuramenti in litem, de qua sup. disc. 8. & 9.
- h disc. 3. & 4.
- i disc. 5.
- l disc. 6. 8. & 9.
- m disc. 1. & 11.

- n disc. 2. & 3.
- o de success. ab intest. disc. 29.
- p disc. 1. de feud. disc. 18.
- q disc. 5. & sub tit. de iurisdic. disc. 94.
- r disc. 3. & sub tit. de iurisdic. disc. 73.
- s disc. 10. & 15.
- t disc. 12.
- u disc. 13.
- x tit. de alienat. & contract. disc. 35.
- y disc. 14.
- z tit. de Regalib. disc. 86.
- a disc. 6. & 7.

I I

De procuratoribus ad negotia, aliisque administratores, ac ministris in genere.

Qualem culpam mandatarius, vel alter majorum non privilegiorum administrator præstat, sub questione est; Aliis ad dolum, & culpam latam cum tantum obligantibus; Aliis verò magis communiter, etiam ad levem, aliis, etiam ad levissimam, super cuius distinctione, hujus opinionis sequaces certant, an utramque, commitrendo, & omitrendo præstat, vel primam tantum, alteram verò non, Veris autem est certam, ac determinatam regulam generalem, de super statutum, in jure non haberi, ideoque pro facti qualitate, in quolibet singulari casu, ejus circumstantiis attentis, decisionem prudenti arbitrio regulandam esse.

Illud autem positum attendendo, an voluntaria sit administratio, commissa per eum, qui per seipsum commode ejus negotia explicare valeat, ac eum, qui de necessitate aliena indiget administratione, ut hoc secundo casu, rigorosius cum administratore procedendum sit, quasi quod sita sit species administrationis legalis, tutelari assimilanda; Ut præsertim iure Civitatum, vel Universitatum administratores, iure tutorum, vel curatorum in omnibus recentendis, cum Civitate, vel Republica pupillo assimilatur, ejusque jure censeatur.

Potissimè verò, ubi qui sub tali administratione vivit, nedum ex necessitate id agat, quia per seipsum id explicare non valet, sed culpa incapax existat, quia nempe corpus inanitatum, ut sacre aedes, ac Civitates, similiaque corpora intellectu, seu politica sunt, cum tunc, qualis qualis culpa sit, quæ ipsum domum obliget, ab administratore præstanda sit, ut præsertim in administratoribus banorum, vel mensurarum sacrarum ædium, praxis docet. *b*

Cujus verò sit periculum pecuniarum, aliarumque rerum functionem in genere recipientium, & quæ cum aliis mandatariis, vel administratores pecuniarum, vel bonis confusæ sint, an scilicet mandantis, vel mandatarii, seu administratoris, vel potius ejus, cuius bona administrantur questio est, cui certa compendiosa regula generalis, cuiusmodi casui adaptabilis tradi non potest, cum ex facti qualitate, singulorumque casuum circumstantiis pendeat, ideoque in sua sede videndum. *c*

Facti quoque est utriusque directæ, & contrariæ actionis exercitium, cum generaliter de jure certa sit ejus competentia, cum ejus sequelis refectionis ejus quod interest. *d*

Sub mandatariorum, vel administratorum nomine veniunt, infitores, & factores, alique quomodolibet aliena bona, vel negotia administrantes, ideoque ad rationum redditionem obligati; Data enim quali quali administratione pernecessè secum trahit hanc obligationem, à

qua testatoris, vel præponentis depositio, seu conventio non excusat, præterquam à scrupulosa, ne alias invitatio ad delinquendum resultet, nisi supremi Principis auctoritas accedat.

Socii quoque rem, vel negotium commune possidentes, ac promiscuè administrantes huic obligationi subjacent, quoniam unus alteri rationes reddere tenetur; Non tamen unus, alium ad id cogit, nisi prius ex ejus parte expleat; Multo verò magis, ubi alii non administrantes ab eo, qui administravit id petant. *e*

In his autem, vel similibus casibus, eadem intrat propositio, quæ in tutore, vel curatore insinuata est, ut ante rationum redditionem, non detur certæ summæ, vel rei creditum vel debitum, cum incertum sit, an unum, vel alterum, ex rationum redditione resultet; Nisi contumacia reddendi rationes, eam inducat malam præsumptionem, ob quam ad certam summam, vel rem sibi traditam in administrationem cogi potest, cum in dubio jactura non præsumatur. *f*

An autem substituendi facultas procuratori ad negotia, vel alteri attributa, trahatur ad casus, in quibus persona industria electa censetur, ideoque inverè similitudo resultat, facti potius est, quam juris, ex singulorum casuum circumstantiis, ac facti qualitate decidendum, ideoque certam regulam non recipit cuiusmodi casui applicabilem. *g*

Salarii, vel mercedis questiones frequenter audit foris; In tutore autem, vel curatore, receptum est de jure non deberi, nisi pretium, atque decretum sit ab initio, quod pro diversa Tribunalium praxi regulam recipit; In aliis autem, ubi non est conventum, regula generalis est negativa, ex personæ, vel administrationis consuetudine, vel natura limitanda; Ubi autem conventio accedat, questio esse solet, an debeatur, ubi ex casu, vel facto ejus, cuius administratio faciendâ est, servitium non præbetur, quod pariter facti potius est quam juris, ex singulorum casuum qualitate prudenti arbitrio decidendum. *h*

Revocabile autem, vel irrevocabile, an sit mandatum, vel aliud administratoris, seu economiæ manus, sub questione est, cujus decisiō pariter ex facti qualitate recipit determinationem, potissimè an locationis, & conductionis mixtura accedat, quæ mandati naturam corrumpat. *i*

De fiscalium autem bonorum, ac iurium administrationibus, sub filici, seu Regalium materia agitur; Prout de procuratoribus, ac mandatariis ad iudicia, vel forensia negotia, tractatur in sua iudiciorum, ac praxis sede. *m*

Pleraque alia adunt, quæ sub hac tutorem, & curatorem, aliorumque administratorum materia cadunt, præmissis fortè majora, aded ut plus dicendum remaneat, quam dictum sit, de eis tamen in suis respective sedibus videndum est, cum juxta omnium materiarum generale institutum, non universæ materie compendiosa tractatio assumatur, sed eorum tanquam, quæ occasio dedit practicè in foro tractare.

- b de hac materia culpe in mandato, disc. 15. & 16. & de Regal. disc. 117.
- c d. disc. 15. & 16.
- d cod. disc. 16.
- e disc. 17.
- f cod. disc. 17.
- g disc. 19.
- h disc. 18.
- i disc. 20.
- l sub tit. de Regalibus.
- m sub tit. de iudicis.